

» tis, sive inter vivos, sive per ultimas voluntates  
 » aliter quam ad pias causas disponere; ac subse-  
 » cuta disciplinæ sacræ relaxatione factum est ut  
 » promissis clericis de his sive inter vivos, sive tes-  
 » tamento disponant ad libitum, perinde ac de  
 » patrimonialibus; quinimo ut, si intestati dece-  
 » dant, vocentur proximi agnati ad hujusmodi be-  
 » norum successiones. Cui praxi sese accommo-  
 » dantes summistæ fatentur quidem clericum sic  
 » disponentem peccare mortaliter, nec licitum esse  
 » agnatis eosdem ad sic disponendum sollicitare,  
 » quia hoc agentes suadent clericis ut moraliter  
 » peccent, quod æterna et indispensabili lege ve-  
 » titum est. Hæc docent Covarruvias, *De testamen-*  
*tis*, in cap. *Cum in officiis* n. 9. Lessius. lib. II.  
 » *De justitia* cap. XIX, dub. IV, n. 44 et seqq. Bo-  
 » nacina, *De contract.* disput. III, quæst. XVII,  
 » punct. II, n. 4, alique communiter. His tamen  
 » adversantur sacri canones, qui opes et proventus  
 » ecclesiasticos non aliis quam pietati, sive ad Dei  
 » cultum sive ad inopum sustentationem, deducis  
 » clericorum victui necessariis, impendi licere  
 » asseverant. » (*Exposit. jur. canon.* part. I, sect.  
 » 475.)

Hucusque Giralduus; sed nemo non videt citatio-  
 nem Cabassutii prorsus esse hoc in loco imperfec-  
 tam. Sic enim prosequitur prædictus Cabassutius,  
 loco citato: « Vide in Decreto causam XII per totum.  
 Et sapienter dicit S. Augustinus epist. L ad Boni-  
 facium comitem: « Si privatim quæ nobis suffi-  
 » ciant possidemus, non illa nostra sunt sed pau-  
 » perum quorum procuracionem quodammodo ge-  
 » rimus, non proprietatem nobis damnabili usur-  
 » patione vindicamus. » Atque in decretalibus vide  
 cap. I. *Filius*, cap. *Cum in officiis*, cap. *Quia nos*,  
*De testamentis*. Secundo, quia quæ fuerunt onera et  
 obligationes defuncti transferunt ad hæredes, et in  
 ejusmodi una et eadem persona censentur defunc-  
 tus et hæres, idemque jus subire compelluntur; et  
 is qui in jus succedit alterius, eodem quoque jure  
 uti debet, cap. *Is qui*, *De regul. jur.* in 6. et I. *Qui*  
*in jus*, D. eod. Igitur quæ obligatio adstringit cle-  
 ricum ecclesiasticos fructus impendere ad officia  
 pietatis, eadem adstringit ejus hæredem. Tertio,  
 quia res quælibet, ad quamcumque personam tran-  
 seant, simul cum suo onere transeunt, cap. *Ex lit-*  
*teris*, *De pignoribus*, et I. *Si debitor*. C. *De distract.*  
*pign.* et I. *Alienatio*, D. *De contrah. empt.* At fruc-  
 tibus ecclesiæ coheret destinatio ad pietatis opera:  
 igitur eadem transmittitur destinatio et onus ad  
 hæredes, quemadmodum obligatio restituendi,  
 quæ usurario inhærebat, transit ad ejus hæredem,  
 in quantum ad ipsum de bonis defuncti pervenerit,  
 cap. *Tua nos*, *De usuris*.

» Concludendum itaque, pergit Cabassutius,  
 posse quidem hæredes, ad quos fructus beneficii  
 pervenerint, illa retinere quæ defunctus clericus  
 poterat ex canonum permissu ad suos hæredes  
 transmittere, sive ex titulo retenta rationabili  
 compensationis sibi clerico debite, aut officiosæ

mercedis intuitu, aut etiam titulo pietatis et elee-  
 mosynæ, si hæredes eorumque familia egestate  
 premantur. Potest insuper, quamvis commodus et  
 dives hæres, sibi illa retinere quæ defunctus par-  
 ticipi victu, cum licuisset plura inculcate expendere,  
 sibi coacervaverat, aut quæ intuitu laboris pro-  
 prii suo dominio, suæque liberæ dispositioni com-  
 paraverat, ut sunt emolumenta distributionum,  
 anniversarium, missarum, administrationis sacra-  
 mentorum, aut verbi Dei. Atque reliquos extantes  
 fructus ecclesiasticos tenetur hæres lege conscien-  
 tiæ ad pietatis opera provide distribuere, obliga-  
 tione, si non justitiæ, certe charitatis.

» Nec tamen dixerim hæredem statim debere  
 exequi istas omnes ad pietatis opera distributiones,  
 alioqui enim sese gravi rerum propriarum damno  
 exponeret, quando ex postfacto repeterentur ab  
 eo diversa defuncti debita quæ ignorabat, et sic  
 post effusas in Ecclesiam et pauperes facultates  
 hæreditatis, novas expensas de propriis bonis sus-  
 tinere cogere circa postmodum emergentes  
 hæreditatis lites et impensas litium. Igitur hæc in  
 re neque sibi adblandiendo, neque etiam sibi  
 damna indebita accessendo, quod sane iniquus  
 esset, potest hæres sibi cavere iudicio probi et  
 prudentis consilarii, atque aliquas cæteroque debi-  
 tas ad pia opera distributiones in tempus futurum  
 differre. (*Juris canonici theoria et praxis*, lib. II,  
 cap. XXVI, n. 8.)

Nunc redeamus ad Giralduum. « Præter consuetu-  
 dinem, ubi viget, possunt etiam de iisdem bonis  
 testari ex indulto Sedis apostolicæ, quo fruuntur  
 cardinales omnes, episcopi solio assistentes, ex  
 constit. Pii IV, *In suprema*, 25 novemb. 1584.  
 Item quoad causas, etiam profanas, beneficii in-  
 cola et cives Urbis Romæ, in ea et in ejus districtu  
 concesserat prius Julius III etiam ultra decem mil-  
 liaria, const. *Cupientes*, sexto idus martii 1549, vi  
 cujus Pauliniana constit. et alterius Alexandri VII,  
*Decens*, si decedunt intestati, succedunt eorum hæ-  
 reses necessarii.

» Eodem indulto fruuntur qui convenerunt cum  
 spoliatorum collectoribus certam summam quotan-  
 nis solvere in favorem cameræ apostolicæ, ex more  
 incepto tempore Sixti V.

» Sibi tamen consulant hujusmodi indultarii,  
 quicumque illi sint, ne cum periculo damnationis  
 æternæ testandi facilitate abutantur eo animo bene-  
 ficiorum redditus congregando, vel ut opulentior  
 assis potissimum consanguineis obveniat, vel ut in  
 profanas causas erogetur cum detrimento divini  
 cultus eorumdem beneficiorum; licet enim Papa  
 id ipsis concesserit, nunquam tamen intelligi potest  
 concedere voluisse cum damno Ecclesiarum. (*Ex-*  
*posit. jur. pontif.* part. I, sect. 475.)

## ADNOTATIO XXXV.

*Lib. III. Decretal. Tit. XXVII. De successione ab*  
*intestato, § IV, n. 66. pag; 567.*

DE JURE SPOII, DE INTERSTATIS, DE ORNAMENTIS ET  
 SUPPELLECTILI SACRA EPISCOPORUM.

« Omnes decretales, in eo quod statuunt clericos  
 beneficiatos testari non posse de bonis intuitu Ec-  
 clesiæ acquisitis, eaque post illorum mortem adju-  
 dicanda esse vel Ecclesiæ, vel successori in bene-  
 ficio, hodie, ubi viget jus spoli, locum amplius  
 habent, vi cujus, ex constit. Pauli III, *Romani*, 3  
 januar. 1542, succedit camera apostolica, etiamsi  
 absque indulto beneficiatus testatus fuisset ad pias  
 causas, ut ex constit. Pii IV, *Grave nimis*, 25 maii  
 1560. Huic spolio subjiciuntur bona quorumcum-  
 que beneficiorum, testandi indulto carentium,  
 ac illorum, qui residentiam lege obstricti extra  
 eam decedunt, licet testandi facultate fruuntur  
 ex constit. laudati Pii, *In suprema*, 25 nov. 1564.

» Non autem suppellectilia domestica, etiam ac-  
 quisita ex fructibus beneficii, sicut nec ornamenta  
 et paramenta ecclesiæ, vasa, libri ejusdem eccle-  
 siæ, gradualia, missalia etc... quæ cedere debent  
 ecclesiæ beneficii; si autem beneficiatus plura be-  
 neficia obtinuerit, dividenda sunt inter eorumdem  
 beneficiorum ecclesias, ex constitutione S. Pii V.  
*Romani Pontificis*, 30 aug. 1567.

» Ornamenta tamen capellæ, calices, cruces, jo-  
 calia et similia curialium episcoporum, cardinalium  
 et aliorum beneficiorum Romæ decedentium, per-  
 tinent ad capellam Papæ, ex constit. Julii III, *Cum*  
*secul*, 26 januar. et *Dudum*, 4 aug. 1550, ac *Cum*  
*autem*, 18 junii 1551.

» Neque itidem ex eadem Pii V constit. subji-  
 ciuntur bona clericorum qui obtinuerunt beneficia  
 aut pensiones non excedentes summam triginta  
 ducatorum auri de camera.

» Nec pariter bona conclavistarum, ex constit.  
 Gregorii XV, *Romanus*, 5 martii 1620, § XIV.

» Nec tamen bona cardinalium ubicumque de-  
 cedentium, ex constit. Pii IV, *Decernens*, 5 febr.  
 1560.

» Ac proinde prædicti omnes a spolio exempti  
 gaudent privilegio de iisdem bonis testandi, et si  
 intestati decesserint, eorum hæredes in ea succe-  
 dunt.

» Videnda est const. Benedicti XIV, *Pastoralis*,  
 28 april. 1756, in qua post relatam Innocentii XII  
 a quo spolia archiepiscoporum, episcoporum et  
 aliorum prelatorum per regnum Neapolitanum  
 addicta fuerunt ecclesiis, quibus, dum viverent,  
 præfuerunt, ac constitutionem Benedicti XIII de-  
 fendentis, iteratis declarationibus, dictam Innocen-  
 tianam constitutionem contra cavillosas quorum-  
 dam interpretationes, nova forma assecurandis,  
 custodiendis distribuendisque dictis spoliis præ-  
 scribitur. In qua insuper præcipitur ut quicumque,  
 sede vacante, quoquo modo eadem spolia adminis-

trarunt vel administrationi præfuerunt, novo præ-  
 suli rationem reddere teneantur.

» Quæ autem veniant spoliatorum appellatione  
 refert summam, una cum apostolicis constitutio-  
 nibus, Laertius Cherubini in const. Sixti V, *In con-*  
*ferendis*, 23 januar. 1580, ut sequitur: « Bona  
 » ecclesiasticarum personarum, sine licentia Sedis  
 » apostolicæ de eis disponentium, juxta constit.  
 » 29 et 46 Pauli III ac Pii IV const. 8, et acquisita  
 » ob illicitam negotiationem, juxta constit. 49 Pii  
 » IV, illegitimis relicta aut vacantia, ut hic et infra  
 » in constit. 14 Sanctissimi. D. N. Pauli V; nec  
 » non bona regularium extra claustra decedentium  
 » juxta const. 43 Gregorii XIII, clericorumque ex-  
 » tra residentiam morientium juxta constit. 91 Pii  
 » IV, fructus beneficiorum Italiæ Sedi apostolicæ  
 » reservatorum vel affectorum dum vacant, juxta  
 » const. 32 Pii IV, bona decedentium extra resi-  
 » dentiam, fructusque beneficiorum inexacti juxta  
 » const. 7 Julii III, vel ante litterarum apostolica-  
 » rum expeditionem aut alias male percepti, ut hic.  
 » Quæ autem non veniant in spoliis dicam in dict.  
 » const. 14 Sanctissimi D. N. Pauli V. » (Giralduus,  
*Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 478.)

Cf. eundem Giralduum, part. I, sect. 488, ubi le-  
 gitur: « Nota III cum Azorio, part. II, lib. VIII  
 cap. IV, et Navarro, *De spoliis clericorum*. § XIV, in tota  
 Germania, Gallia, Lusitania usu esse receptum ut  
 nulla beneficiorum, etiam episcoporum bona  
 tanquam spolia ad cameram apostolicam pertineant.  
 In regno vero Castellæ in Hispania tota episco-  
 porum spolia Papæ solvantur; aliorum beneficia-  
 torum non item. In Italia vero tum episcoporum  
 tum aliorum quorumlibet beneficiorum spolia  
 cameræ apostolicæ debentur. »

« In decretali *Sed hoc*, titulo *De success. ab in-*  
*test.* statuitur ut si episcopus, presbyter, vel qui-  
 cumque alius clericus intestatus decesserit, in ejus  
 bona, etiam intuitu personæ et non ecclesiæ ac-  
 quisita, succedat ecclesia cui inserviverit. Verum  
 juxta communissimam interpretum sententiam id  
 duntaxat locum habet in defectum consanguineo-  
 rum qui ab intestato succedant.

» Imo, in horum etiam defectum, hodie non suc-  
 cedit ecclesia sed camera apostolica, ita Remigius  
 Maschat, hoc. eod. tit. n. 7, « maxime si clericus  
 » non sit beneficiatus, per varias bullas Pontifi-  
 » cum Julii III, Pauli III et IV, Gregorii XIII etc...  
 » quæ tamen dicuntur non esse usu receptæ in  
 » Gallia, Lusitania, et Germania. »

» Ubi autem dictæ constitutiones non sunt re-  
 ceptæ, si clericus nec beneficium habens, nec con-  
 sanguineos, intestatus decesserit, in ipsius bona suc-  
 cedit fiscus episcopalis cum onere ea erogandi  
 in causas pias, Reiffenstuel, hoc tit. § IV, n. 63.

» In aliquibus regnis ea viget consuetudo ut, si  
 quis, etiam laicus, intestatus decesserit, episcopi  
 testamenta efficiant quæ animarum vocantur, ali-  
 quid pro illius animæ suffragio disponendo, licet



hæredes superstites relinquat. Quam consuetudinem, ubi non viget, Benedictus XIII in concilio Romano, tit. *de Testam.* cap II, admonet episcopos ut subditos hortentur amplecti. (Giraldus. *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 482.)

Cf. Adnotationem XXXII, supra.

In concilio Aginensi in Gallia, anno 1859 celebrato, tit. III, cap I, n. 5, statuitur: « Sponsam suam ecclesiam unice amet (episcopus), eique toto cordis affectu adhæreat; eam vivus diligenter excolat, ditet et ornet; eam moriens rerum suarum, si non omnium, sacrarum saltem et de proventu ecclesiastico acquisitarum, testamento, ante scripto, hæredem relinquere non negligat, ad mentem constitutionis Pii IX, die prima junii anni 1847, *Cum illud plurimi.* » Porro tenor prædictæ constitutionis est hic:

» Pius PP. IX. Ad perpetuam rei memoriam.

» Quum illud plurimi referat ut in apostolicis concessionibus nullus detur dubitationi locus quæ animos torqueat et controversias excitet, idcirco si quam existere ambiguitatem noverimus, ad eam avertendam curas nostras libenter intendimus. Jam vero, præter indultum testandi de propriis bonis quod venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus Sancta hæc Sedes tribuere solet per apostolicas litteras in forma brevis incipientes *De benignitate Sedis apostolicæ*, iisdem, per alias similes litteras in forma brevis quarum initium *Cum fel. record. Urbanus VIII*, facultas conceditur disponendi de sacris utensilibus favore alicujus ecclesiæ seu capellæ, vel loci pii, nonobstante constitutione Urbani VIII *Æquum est*, edita die 24 julii anno 1642, qua sacra cardinalium utensilia Pontificio, sacrario attribuuntur.

» Verum quum in memorato postremo brevis etiam quando agitur de cardinalibus archiepiscopis et abbatibus, ex quodam invecto usu addi consueverit clausula: « Salvaque in præmissis quoad ecclesias cathedrales, metropolitanas et patriarchales, quibus præferis, seu quas alias ex concessionem vel dispensatione apostolica in titulum, administrationem seu commendam obtinueris dispositione fel. rec. Pii PP. V, anno 1567, tertio calendis sept. anno secundo, » sæpe sæpius dubia exorta sint circa interpretationem et vim hujus modi reservationis, eove magis quod in superius memorato brevi, *De benignitate Sedis apostolicæ*, præfata S. Pii V constitutioni, in ea parte quæ sacra utensilia respicit, aperte derogetur. Summi namque romani Pontifices cardinalibus quoque archiepiscopis et abbatibus privilegium disponendi de sacris utensilibus concedere solent, illud frustraneum et illusorium foret, quatenus adjecta clausula eam vim habeat quam verba præ se ferunt. His quoque accedebat quod nonnulli SS. canonum interpretes doceant cardinales, utpote qui in memorata S. Pii V constitutione speciatim nominati non sint, ea lege minime teneri, etsi alii contrariam sententiam tueantur.

» Quæ cum ita essent, venit frater noster Petrus cardinalis Ostini, nunc episcopus Albanensis, qui tunc temporis episcopalem ecclesiam Æsinam regebat, enixe postulavit a fel. rec. Gregorio XVI prædecessore nostro ut rem certo definiret, atque expresse declararet an cardinales episcopi, seu abbates *Nullius*, in apostolicis memoratis S. Pii V prædecessoris nostri litteris comprehendantur, ac staret quænam sacra ornamenta et suppellectiles et utensilia S. R. E. cardinalium ad sacrarium pontificium ex memorata constitutione Urbani VIII, et quænam patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum et abbatum *Nullius*, sive cardinalitia dignitate fulgeant, sive illa careant, ad ecclesias cathedrales ex superius citata S. Pii V constitutione revera spectent, et quomodo faciendâ sit divisio sacrarum suppellectilium et utensilium, quando episcopus sive successive, sive simultanee plures ecclesias gubernaverit. Nos igitur, qui in memorati decessoris nostri bonæ mem. Gregorii XVI locum licet immerentes suffecti sumus, ad præcedendas omnes, hac super re, dubitationis ac controversiæ causas de consilio VV. FF. nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium præpositorum, hæc quæ sequuntur auctoritate nostra apostolica decernimus et mandamus:

» I. Cardinales episcopos teneri, quoad sacra utensilia, lege lata in constit. S. Pii incipienti *Romani Pontificis*, exceptis tamen cardinalibus episcopis suburbicariis, necnon exceptis pariter cardinalibus abbatibus *Nullius*, qui in Romana curia morantur, quorum sacra utensilia, attendita citata constitutione *Æquum est* Urbani VIII prædecessoris nostri, ad pontificium sacrarium spectabunt.

» II. Firmis remanentibus clausulis derogatoriis constitutioni S. Pii V, cujus initium *Romani Pontificis providentia*, in litteris in forma brevis incipientibus *De benignitate Sedis apostolicæ* apponi solitis, in altero brevi, quod incipit *Cum fel. rec. Urbanus VIII*, auferatur clausula qua salva edicitur eadem Piana constitutio, ejusque loco substituantur ea quæ sequuntur: « quod si ecclesiis abbatibus, cathedralibus, metropolitanis, patriarchalibus præferis, seu quas alias ex concessionem vel dispensatione apostolica in titulum, administrationem seu commendam obtinueris, te vehementer hortamur, prout jam Benedictus XIV prædecessor noster, in sua constitutione incipiente *Inter arduas*, cardinales hortatur ut in prædictis rebus disponendis eas ecclesias præ oculis habeas, cæterisque præferas. » Quæ vero hoc in articulo præscripsimus, ea ad singulos cardinales extendimus qui, ante præsentium litterarum publicationem, enuntiatam testandi ac disponendi facultatem obtinuerunt, perinde ac si in respectivis indultis expressa essent.

» III. Sacra utensilia quæ, vigore constitutionis S. Pii V incipientis *Romani Pontificis*, ecclesiis

cathedralibus debentur hæc esse edicimus: mitras scilicet, planetas, pluvialia, tunicellas, dalmaticas, sandalia, chirotecas, albas cum cingulis, lineos amictus et his similia; item missalia, gradualia, libros cantus firmi et musicæ, libros pontificales, alterum cui titulus canon missæ; item calices, patenas, pixides, ostensoria, thuribula, vas aquæ benedictæ cum aspersorio, pelvim cum urceo, vasa sacrorum oleorum, et urceolos una cum pelvibus et tintinnabulo, palmatorias, icones pacis, cruces archiepiscopales, candelabra cum cruce pro altaris usu, baculum pastorem, faldistorium, aliasque res sacras sive paramenta, sive ornamenta, sive vasa, si quæ sunt, etiam ex eorum natura usui profano congrua, dummodo non per accidens sed permanenter divino cultui sacrisque functionibus fuerint destinata: exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis, et iis omnibus utensilibus cujusvis generis quæ legitime probentur ab episcopis defunctis comparata fuisse bonis ad Ecclesiam non pertinentibus, neque constet Ecclesiæ fuisse donata. Volumus propterea teneri ac debere episcopos conficere in forma authentica inventarium sacrorum utensilium in quo, pro rei veritate, expriment quando acquisita fuerint, et speciali nota describant quæ ex Ecclesiæ redditibus ac proventibus sibi compararunt, ne alias præsumi debeat ea omnia redditibus ecclesiæ comparata fuisse.

» Quod vero pertinet ad utensilia sacra S. R. E. cardinalium ad sacrarium sacelli summi Pontificis spectantia, nullam haberi volumus rationem qualitatis et naturæ reddituum, quibus comparata fuerint et, præter ea quæ in constitutione Urbani VIII incipiente *Æquum est* in specie enumerata sunt, aliis verbis generalibus tantum expressa intelligi volumus sandalia, chirotecas, lineos amictus, albas cum cingulis, item pixides, ostensoria, vas aquæ benedictæ cum aspersorio, vasa sacrorum oleorum, et urceolos cum pelvibus ac tintinnabulo, tandem baculum pastorem, faldistorium, palmatorias, icones pacis, thuribulum et his similia, exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis.

» IV. Quando episcopus duas vel plures ecclesias successive rexerit, sacra utensilia decideri volumus proportionaliter inter ecclesias cathedrales, habita ratione fructuum ac temporis, juxta constitutionem S. Pii V, incipientem *Romani Pontificis*.

» Ubi vero aliquis episcopus simul præfuerit duabus aut pluribus ecclesiis unitis, vel in perpetuam administrationem concessis, quæ habeant capitulum et cathedralem ecclesiam propriam ac distinctam, sacrorum utensilium divisionem faciendam esse edicimus æquis partibus singulis ecclesiis cathedralibus, quatenus earumdem ecclesiarum unitarum, seu in perpetuam administrationem concessarum, redditus non sint divisi, sed unam episcopalem mensam perpetuo constituent; si vero

redditus divisi fuerint ac separati, divisionem fieri volumus singulis ecclesiis cathedralibus proportionaliter ratione reddituum.

» VI. Quod si constet episcopum qui, per translationem duabus ecclesiis successive præfuerit, comparasse sibi omnia sacra utensilia redditibus tantum unius ecclesiæ, nulli divisioni locus erit, sed eadem sacra utensilia ad ecclesiam cathedrali tantum spectabunt illius diocesis, ex cujus episcopalis mensæ proventibus fuerint acquisita.

» Hæc volumus et mandamus, decernentes has litteras firmas, validas atque efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere, eisque ad quos spectant aut spectabunt plenissime suffragari; sicque in præmissis pro quocumque iudices ordinarios et extraordinarios iudicari ac definiri debere, irritumque et inane quidquid secus super his a quopiam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, si opus fuerit, nostra et cancellariæ apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque apostolicis, atque in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, cæterisque etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis contrarium facientibus quibuscumque.

» Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima junii MDCCCLVII, pontificatus nostri anno primo. — Aloysius card. LAMBRUSCHINI a brevibus apostolicis.

Ut apprimè intelligantur litteræ apostolicæ Pii IX, supra transcriptæ, hic subjungimus breve apostolicum ad Eminentiss. Cardinalem Ugonem Robertum Joannem Carolum de la Tour d'Auvergne-Lauraguais episcopum Atrebatensem, die 23 decembris 1839, directum, scilicet ante immutationem a Pio IX præscriptam; in quo § *Salvaque insuper* distinctis characteribus recudetur, si quidem immutatio præfata hunc paragraphum attingit.

« Gregorius PP. XVI. Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

» Cum fel. rec. Urbanus PP. VIII prædecessor noster per suam die 16 oct. 1643 (sic) editam constitutionem, alterius constitutionis recentis mem. Clementis PP. VIII etiam prædecessoris nostri innovatoriam, statuerit et ordinaverit quod omnia et singula mitræ, pluvialia, planetæ, tunicellæ, aliaque ornamenta et vestimenta ecclesiastica, ac calices, patenæ, vasa etiam aurea et argentea, aliaque res et utensilia quomodolibet nuncupata, præsertim benedicta seu consecrata, quibus S. R. E. cardinales tunc et pro tempore existentes, tam in capella pontificia seu processionibus, cæremoniis aliisque functionibus pontificiis, quam in eorum capellis privatis pro tempore quomodolibet usi fuerint, ad sacristiam pontificiæ capellæ ipso jure spectent et pertineant, et ad illam deferri ibique realiter consignari debeant post obitum ipsorum



cardinalium, aliquibus tunc expressis vestimentis et utensilibus hujusmodi exceptis; ac quascumque facultates testandi et disponendi de vestibus, vasis ac aliis rebus et utensilibus prædictis, etiam ad favorem quarumvis ecclesiarum seu capellarum et locorum piorum ac personarum quarumlibet, illaque ad hæredes transmittendi per ipsum Urbanum et alios Romanos Pontifices prædecessores suos quomodocumque concessas, quæ suum effectum sortitæ non fuerant, ad prædictæ suæ constitutionis terminos reduxerit et, quatenus opus foret, in iis quæ dictæ suæ constitutioni adversarentur, cassaverit et annullaverit et alias, prout in eadem constitutione, cujus tenorem præsentibus haberi volumus pro expresso, uberius continetur.

» Nos, ne ob præmissa impediatis quominus de vestimentis, ornamentis, vasis, rebus et utensilibus prædictis, testamentaria seu alia voluntate, ut infra disponere possis, providere atque specialis favore gratiæ prosequi volentes, motu proprio et ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, circumspectioni tuæ de omnibus singulis mitris, pluvialibus, planetis, tunicellis aliisque paramentis et ornamentis ecclesiasticis, necnon crucibus, candelabris, imaginibus, patenis, vasis, vasculis, etiam sacris et benedictis seu consecratis, et aliis rebus ac utensilibus divino cultui dicatis seu destinatis, etiam argenteis, aureis seu inauratis, tam capellæ tuæ private, quam iis quibus in capellis, cæremoniis, processionibus et aliis functionibus pontificiis usus fuisti et in futurum uteris, ubicumque existentibus, et quocumque modo, via, jure, causa et forma ad te nunc et in futurum spectantibus quomodolibet et pertinentibus, cujuscumque qualitatis, valoris, speciei et conditionis fuerint, quæ ad dicam sacristiam, ut præfertur, post obitum tuum pertinerent, ac etiam de quadam parte quæ a caudariis prætendi solet, eodem prorsus modo, quo tibi de cæteris bonis tuis et rebus auctoritate apostolica concessum fuerit, testandi et disponendi, sed non tamen ab intestato ad hæredes tuos transmittendi, ac dummodo de illis in favorem alicujus ecclesiæ seu capellæ vel loci pii disponas, ac de hac dispositione et voluntate tua per duos saltem testes vel per schedulam manu tua subscriptam, vel per aliud quodcumque naturalis probationis genus certo constet; *Salvaque insuper in præmissis, quoad ecclesias cathedrales, metropolitanas aut patriarchales duntaxat quibus præfueris, seu quas alias ex concessione et dispensatione apostolica in titulum, administrationem seu commendam obtinueris, dispositione constitutionis sanctæ memoriæ Pii PP. V similiter prædecessoris nostri sub datum anno in carnationis dominicæ 1567, tertio Kal. septembris, pontificatus sui anno secundo, plenam et amplam facultatem tenore præsentium concedimus et impartimur.*

» Non obstantibus prædictorum Clementis et Urbani prædecessorum nostrorum ac præ mem. Pii

PP. IV prædecessoris pariter nostri de gratiis quaecumque interesse camere apostolicæ concernentibus, in eadem camera intra certum tunc expressum tempus præsentandis et registrandis, ita ut præsentibus litteræ ibidem præsentari registrari nunquam necesse sit, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis quæ in litteris super facultate testandi de aliis et bonis tuis tibi tributa emanatis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 23 decembris 1839, pontificatus nostris anno nono.

— A. card. LAMBRUSCHINI.

Cf. *Analecta juris Pontificii*, serie III, col. 950, ubi narratur sacram Congregationem Concili pluribus decrevisse valorem ornamentorum et sacræ suppellectilis, inter bona mobilia episcopi defuncti non existentium, prælibandum esse, in gratiam ecclesiarum cathedralium, de successione hæreditaria; et docetur nulla esse testamenta codicillosque quorum virtute episcopi relinquere prædicta ornamenta sacramque suppellectilem, sive personis ecclesiasticis, sive locis etiam piis, in præjudicium ecclesiæ suæ cathedralis, attentarent.

#### ADNOTATIO XXXVI.

*Lib. III. Decretal. Tit. XXVIII, De sepulturis, § I, n. 8; pag. 569.*

#### DE LOCO SEPULTURÆ IN ECCLESIA DATO.

Retinenda sunt verba Ritualis romani: « Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in cœmeterio retineatur, et ubi fieri potest restituatur. At vero, ubi locus sepulturæ dabitur in ecclesia, humi tantum detur, cadavera autem prope altaria non sepeliantur. » In quacumque ecclesia sepultura eligatur, ex constitutione S. Pii V, *Cum primum*, 1 april. 1566, § VI, defuncti corpus semper collocandum est in tumba profunda infra terram, et capsæ omnes, depositæ, ac alia cadaverum conditoria, super terram existentia, amovenda sunt. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 493.)

#### ADNOTATIO XXXVII.

*Lib. III. Decretal. Tit. XXVIII, § I, n. 19; pag. 572.*

#### DE SEPULTURA RELIGIOSI EXTRA CLAUSTRA DEFUNCTI.

» Exponatur quid praxis ferat, tam cum cadaver religiosi, extra claustra defuncti, commode deferri possit ad illius monasterium, quam cum non possit vel ob notabilem distantiam locorum, vel ob periculum corruptionis ejusdem cadaveris.

» In primo igitur casu deferri debet ad ecclesiam sui ordinis, etiam parochis inconsultis, ut respondit S. cong. Conc. ad decimum dubium inter cætera excitata a parochis Bononiensibus, 2

julii 1620, lib. XII Decretor. fol. 45, ita tamen ut asportatio privatim fiat sine cruce et processione, ut de praxi etiam Romæ servata testatur Mathæucci, *Officialis curiæ*, cap. XLVIII n. 16. Si autem fieret cum pompa et processionaliter, consuetudo est ut interveniat parochus, card. Petra ad constit. IX Innocentii III, sect. unio. n. 11. Quocumque autem modo asportetur, monasterium nihil tenetur solvere eidem parochi ratione funeris, licet ab eo administrata fuerint religioso infirmo sacramenta viatici et extremæ unctionis, ut declaravit eadem Congregatio, 22 maii 1615; Reiffenstuel, hoc eod. tit. § I, n. 19.

» In secundo casu, vel religiosus sibi non elegit sepulturam vel elegit, ut ex decretali *Religiosi* hoc tit. eligere potest, si decesserit in loco valde remoto ut Glossa hic. Si primum, sepeliri debet in parochiali intra cujus limites morabatur, ead. Glossa ad eand. decretal. versu *Nota primo*, et cum ea doctores communiter relati a Petra loc. cit. n. 31, quidem expensis peculii ejusdem religiosi pro exequiis peragendis, et, si eo careat, expensis monasterii cujus erat filius vel in quo degebat, vel familiæ, si bona in communi possideat; sin minus, gratis sepeliendus est ut reliqui pauperes, idem Petra n. 36.

» Si secundum, nulla inde oritur quæstio quominus non debeat in ea sepeliri, quemadmodum sepeliri debent quicumque ex dispositione juris communis jus habent sibi eligendi sepulturam.

» Sed hic quæri posset quæ distantia requiritur inter locum, in quo religiosus et vivis decessit, et locum ubi situm est monasterium, ita ut cadaver commode et sine periculo ad illud asportari non possit. Cum nihil hac de re jure cautum sit, conveniunt doctores id remittendum esse arbitrio viri prudentis, quamvis non desint qui asserant remotum locum dici tantum illum ad quem per unius diei iter cadaver transferri nequeat, Petra loc. cit. n. 31.

» Si autem queras an, vi Bonifacianæ sanctionis *Religiosi*, hoc tit. interdicta sit electio sepulturæ etiam religioso a religione expulso, negativam sententiam satis solida tuetur laudatus Petra loc. cit. n. 37, his verbis: « Religiosus tamen expulsus seu ejectus, quia relinquatur a religione et si religiosus non esset, quandiu a prelato non recusetur, habet velle et nolle ab ipsa obligatione relaxatum in aliquibus; ideo potest ubilibet sibi sepulturam eligere, cujusmodi potest pecuniam expendere, sine obligatione ad restitutionem, permissa eidem libera suorum honorum administratione, Lessius *De justis et jure*, lib. II, cap. XL, dub. XV, n. 113; Molin. tract. II, disp. 276 et in his terminis, Murga, cit. disquisit. § VIII per totum.

» Sed objici potest: religiosus ejectus ob malos mores, seu ex delicto, quoad favorabilia habetur pro vero ejecto et laico, sed quoad odiosa remanet religiosus professus, puta in votis et aliis

» similibus, Cardinal. in Clement. 4, § *Quia vero*, in prima quæst. *De statu Monach.* Sanchez ad præcepta Decalogi, lib. VI, cap. IX, n. 43; *Addit. ad Burat.* dec. 756, § 1. finali. Sed nihil urgeat objectio, nam, ut dixi, incapacitas eligendi sepulturam non provenit directe ex voto, sed ex privatione velle et nolle, quod religiosus non habet ex se sine superioris consensu. Cum enim ejectus habeatur pro derelicto a religione, videtur ei permissa administratio, et remissum in pluribus velle et nolle, etiam in electione sepulturæ; quia cum religio eum expulerit, videtur eo magis nolle ejus corpus cum illis religiosorum sociari, et sic relaxasse facultatem eligendi sepulturam in alio loco, ne sepultura careret. Rursus hæc potius est poena ne sepeliatur in sepulcro religiosorum, quam favor ut eligat aliam sepulturam. (Giraldi, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 495.)

#### ADNOTATIO XXXVIII.

*Lib. III. Decretal. Tit. XXVIII, § II, n. 41; pag. 577.*

#### DECISIONES CIRCA ELECTIONEM SEPULTURÆ.

Decreta sacræ Congregationis concilii:

» I. Se sia valida l'elezione della sepultura che si fa, nella presenza del parroco da chi è sano o infermo.

» II. Se al valore della elezione della sepultura si richieda il testamento nell'ultima volontà, ovvero basti che si elegga innanzi per altro atto pubblico che non sia testamento.

» III. Se sia nulla essa elezione, quando si elegge eziandio per testamento fatto in vita e non in morte.

» IV. Se chi ha cappella di sua famiglia con propria sepultura, morendo senza elezione di sepultura, si debba seppellire nella cattedrale.

» V. Se sia valida l'elezione della sepultura fatta alla presenza di due o più testimonij.

» VI. Se sia valida l'elezione fatta per nutum, et per signa, in caso che taluno non possa parlare.

» VII. Se li fratelli della confraternite si possono seppellire nella sepultura della loro chiesa, non facendosi elezione d'altra.

» VIII. Se l'elezioni della sepultura, le quali de jure præsumuntur, come quella della moglie rispetto al marito, de' figli rispetto al padre e loro maggiori, de' schiavi e simili rispetto ai padroni, e simili, siano valide. Che è quanto dall'Eminenze vostre benignamente si desidera dichiarare, ed il tutto etc...

» Queritur quid ad singulas prædictas dubitationes respondendum.

» Die 13 februarii 1666, S. Cong. Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium conc. Trid. interpretum

» Ad I, censuit esse validam, dummodo paro-